

manu, ut videtur, annotato¹, apparebit hunc codicem scriptum fuisse anno 1165. Ast si hic ratiocinandi et computandi modus displicet, illud saltem negari non potest, hunc codicem esse referendum ad sec. XII., cum Egelolfus abbas a. 1181. haecce annotaverit, et in anterioribus paginis Novientensium abbatum ipsius praedecessorum historia iam existat integra.

In folio sexto praecedenti adhuc alias invenimus aeras his verbis annotatas: 'Anno ab incarnatione domini 1212. isti susceperunt agros in Scerwilre etc.' et pagina sequenti: 'Anno ab incarnatione 1206. Heinricus lapicida suscepit agros incultos XII; annis singulis dabit solidum etc. Sed haec nihil omnino faciunt ad destruenda ea', quae supra diximus, cum forte ille locus, in quo haec scripta fuerunt, vacuus erat relictus, et quod mihi videtur, haec scriptura recentior est quam illa Egelolfi abbatis.

Si codex noster conferatur cum aliis manuscriptis sec. XII, eosdem characteres deprehendimus: E simplicia occurrunt, interdum etiam caudata, numquam vero ae diphthongus. Abbreviaturae fere eadem, quae in codicibus sec. XI, cum autores rei diplomaticae annotent abbreviaturas sec. XI. et XII. haud multum inter se differre. Interpunctiones sunt frequentes et nonnisi puncta simplicia, interdum acuto accentu notata. Litterae i interdum etiam acutus superimponitur, quod quidem in sec. XIII. fuit frequentius, sed in nostro manuscripto recentiori manu ista lineola fuit adiecta, quod patet ex pallido atramenti colore, quo manuscriptum illius temporis facile ab aliis, reliquis signis non additis, distinguatur.

Caeterum hic codex noster longe antiquior esse videtur quam ille, quem vidit Martène. Primo quia ipse Martène codice usus fuit, in quo quaedam in ipsam coenobii Novientensis historiam inserta sunt, quae in nostro codice in margine leguntur; ita statim ab initio: 'Topos raece' etc.; noster vero codex incipit: 'Quoniam igitur genus humanum' etc. Quod argumentum est certe non spernendum et fatum fere omnibus autographis commune. Si Martène simul diplomata illa et privilegia, quae allegat, produxisset, clarius haec probari possent.

Certe illa privilegia Novientensia, quae cum hoc codice contuli, eodem vitio laborant, quod scilicet illa quae ad marginem scripta sunt in ipsum textum fuerunt intrusa:

1) Dies ist natürlich unzutreffend.